

# Nova literaria

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **BookReview**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 5

PDF erstellt am: **16.08.2024**

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## NOVA LITERARIA.

TIGURUM. Hic typis exscriptæ & publicatæ sunt Exercitationes Academicæ sequentes:

1. Dissertatio physico-mathematica de effectibus, qui a Virium compositione producuntur: quam sub præsidio JOANNIS GESNERI, M. D. Phys. & Math. Prof. Ord. pro consequendo Examine philos. alternis vicibus tuiti sunt VII Candidati. Tigur. ex Offic. Gessneriana. 1747. 40. pl. 3. cum Tabula æri incisa.
2. Meditationis de causis magis magisque invalescentis Incredulitatis & medela huic malo adhibenda Pars IX. quam Præsides JO. JACOBO ZIMMERMANNO, S. Th. Prof. ac Reg. Boruss. Soc. Scient. Membro, pro consequendo Examine Theol. publice defenderunt VII. S. M. Candidati. Tigur. ex Offic. Gessner. 1747. in 40. pl. 5½. In hac Dissertatione Cl. Autor, postquam hactenus Causas, quæ incredulos a Religione alienos reddere solent, exposuisset, progreditur ad expendenda generalia quædam argumenta, quæ hoc hominum genus incredulitati suæ prætexunt, & quæ ipsi *Præjudicia legitima* appellare consueverunt; cujus generis sunt 1.) Valedicendum esse Libertati de Religione ratiocinandi, quamprimum quis alicui Christianorum Sectæ nomen dederit: 2.) Christianos in partes esse scissos; omnes tamen quædam admittere dogmata, quæ cum rectæ rationis decretis non possint in concordiam reduci: 3.) Deo perinde esse, quamcunque quis tueatur

religionem, immo ipsum delectari hac opinio-  
num varietate hominum in tenebris q. palpanti-  
um. 4.) Revelationem, quam Christiani venditant,  
non omnium ingenii esse attemperatam, Lin-  
gua peregrina & paucissimis cognita perscrip-  
tam, obscuram &c. 5.) Religionis summam  
& essentiam consistere in officiis pietatis, quæ  
Deistæ juxta cum Christianis ut necessaria quam  
maxime urgeant. &c.

3. Disertatio Theologica de Ministerii Evangelici  
divina institutione ceu fructu Exaltationis Chri-  
sti in cœlum ad verba Pauli in Epist. ad Eph.  
IV : II. quam ad Synodum vernalem placidæ  
Disquisitioni subjecit JO. JACOBUS LAVA-  
TERUS, S. Th. Prof. Respondente J. Jac. Vo-  
gelio, V. D. M. Assumente J. Rud. Huldrico,  
S. M. C. Tigur. 40. Præclarum Exegetis  
Theologicæ Specimen.
4. Prodiit hic quoque multorum precibus expeti-  
ta pia Institutio de vera ratione Cantus sacri in  
publica concione sub titulo: *Aufweckung zu  
herzlichem andächtigen und gläubigen Absingen  
der Psalmen bey dem öffentlichen Gottesdienst,  
nach Anleitung der Worten des S. Ap. Pauli  
Ephes. V: 19. Sonntags den 5ten Hornung  
1747. mündlich vorgetragen, und auf Begeh-  
ren zum Druck überlassen von J. Caspar Ul-  
rich / Pfarrer zum Frau-Münster. Zürich.  
Bey Heidegger und Comp. 40. pl. 3.* In hac  
pia Institutione Clariss. Autor id etiam imprimis  
agit, ut morem apud nos publice receptum  
Psalms hymnosque Davidicos ex ordine &  
non interrupta serie canendi tanquam impedi-  
mentum λογικῆς λατρείας graviter coarguat: ubi

inter

inter alia prorsus ex vero pronuntiat, se de hac consuetudine non posse mitius sentire, quam omnes sanæ mentis homines de eo judicarent, qui formulas precum pro variis hominum statibus & conditionibus ad juvandam privatam devotionem conceptas eo ordine, quo in Libro aliquo ascetico sunt dispositæ a capite ad calcem statim temporibus recitaret. Sed est humanum ingenium ad superstitionem proclive & mirificis contradictionibus obnoxium, ut quæ in aliis, aut simili prorsus in casu damnet ac rejiciat, sibi alio tempore aut alia in causa facile indulgeat, immo etiam pertinaciter defendat.

5. Ex Officina Byrklini prodiit: Des hocheleuchteten Theologi, Herrn Johann Arnds sämtliche VI geistreiche Bücher vom wahren Christenthum: Neue Auflage mit Kupfern, samt richtigen Anmerkungen, kräftigen Gebettern über alle Capitel und einem sechsfachen Register. Zürich. 1747. 80. Miror qui factum sit, ut Arndiani isti Libri plebi Christianæ promiscue fuerint tanto studio commendati, in quibus ut ut nil nisi devotæ mentis affectum spiret, & *Uctionem* sapiat; major tamen simplicitatis, ordinis ac perspicuitatis Lux non temere desiderari possit: Atque etiam persuasum habeo BULLINGERI nostri Librum, qui *Haußbuch* inscribitur, omnium, inprimis radium, ingenii magis esse attemperatum.

BERNA. Dedit nobis superioribus his mensibus Vir Clariss. SAMUEL SCHEURERUS, S. Th. Prof. PRIMARIUS aliquot Dissertationes Theologicas, quarum argumenta hæc sunt:

1. Dissertatio præliminaris, qua S. S. Theologiæ præcellentia præ omni alia Scientia demonstratur. Bernæ. 4. pl. 5. Tota hæc Dissertatio non est nisi plenior expositio huius Syllogismi:
- „ Quæ Scientia & Auctoris sui *Supremitate*, &  
 „ *Objecti* nobilitate & amplitudine, & *Originis*  
 „ *Antiquitate* & divinitate, & *Subjecti* recipien-  
 „ tis universalitate, & *adjuncti* recipiendi indis-  
 „ pensabili necessitate, *Finis* & *Mediorum* summa  
 „ Sapiencia & Sanctitate, conjuncta iis incom-  
 „ parabili *utilitate* & ineffabili Suavitate, & in-  
 „ dubitata *certitudine* eminent, & *exemplis* eam  
 „ colentibus illustrissimis claret, ea omnibus  
 „ aliis jure & merito suo præcellit: At THEO-  
 „ LOGIA talis. ERGO. „ In  
 huius Syllogismi amplificatione varia occurrunt,  
 quæ curiosum Lectorem detinere possint, cu-  
 jus generis sunt: §. II. Enumeratio Encomia-  
 starum rerum parvarum, ovi, pediculi, Afini,  
 febris quartanæ &c. §. V. Primi artium qua-  
 rundam Autores, ubi de *Jubal* ingeniose oppido  
 memoratur, quod fuerit Inventor Musicæ &  
 Instrumentorum, *Ut Relevet Miserum Fatum*  
*Solitosque Labores.* §. XVI. A quibus fuerint  
 inventa Telescopia, pulvis pyrius, vasa lactea  
 Mesenterii, Receptaculum Chili & Ductus Tho-  
 racicus: Ubi etiam occurrit decantata illa Ob-  
 jectio:
- Dat Galenus opes, dat Justinianus honores:*  
*Pontificat Moses cum Sacco per Civitatem.*
- In qua refellenda acute observat Vir Celeberri-  
 mus I.
- Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.*
3. Si non uti par esset, honesta ubique sunt Theolo-  
 gorum

gorum stipendia, ut nonnunquam unus meliori & lautiori sorte dignus deprehendatur, observabis sane & ex altera parte, non unum, qui nequidem eam, quæ ipsi contigit, sortem meretur.

2. Disertatio Theologica præliminaris altera quæ S. S. Theologiæ Conspectus ex præcipuis ejus Divisionibus & Partibus sistitur, insimulque de eam tractandi Methodo agitur: Bernæ. 4o. pl. 7. Est profecto Vir Celeberrimus in discriminandis variis Theologiæ revelatæ, cujus præ Naturali præstantiam prius invicte adstruxerat, generibus & classibus copiosus & fecundus: etenim nobis sigillatim enumerat Theologiam exotericam & acroamaticam: Theticam seu Didacticam, Dogmaticam & Antitheticam s. elencticam, polemicam, & controversificam; theoreticam & præcticam, moralem, casuisticam, homileticam, catecheticam, patristicam, propheticam & historicam, typicam, emblematicam, symbolicam, paracleticam, scholasticam, mysticam, traditivam, cabbalisticam, exegeticam. &c. Scil. Christiana Religio, ex fastidio Apostolicæ Simplicitatis, mirifico quodam ingenii humani lusu, Protei ad instar, varias induere species ac formas coacta est. Scilicet.

*Mille hominum species & rerum discolor usus.*

In altera parte Disertationis Celeberr. Autor duas tractat Quæstiones: 1a. *Utrum Theologiam elencticam secundum seriem Locorum Communium; an vero ex quorumlibet Adversariorum Systemate connexam tractari magis conducatur?* Ad quam non aliud respondet, quam utramque methodum sua habere & commoda & incommoda, neque utram alteri præferendam censeat, diserte defi-

nit. Qui ultra methodus, majora ac potiora habeat commoda aut incommoda, scire cupit, adeat Clariss. STAPPERUM, atque expendat momentum rationum, quibus methodi systematicæ præ tumultuaria dignitatem propugnavit. 2a. Quæstio hæc est: *An Methodus mathematica vel Scientifica in S. Theologia tractanda adhiberi & possit & debeat?* Equidem hujus Methodi possibilitatem agnoscit Celeberr. Autor, ejusdemque etiam commoda quædam percenset; Simul tamen non diffitetur, sibi videri eam esse difficilem, prolixam, in mysteriis Religionis minus applicabilem, & quæ juvenes fervidioris ingenii typho inflare possit: Itaque cum iis facere videtur, qui methodum *CUMULATIVAM* præferendam ducunt, præsertim quod tempora Longævitatæ Patriarchalis, quæ ad pertractandas omnes partes Eruditionis sacræ secundum Methodum mathematicam requireretur, dudum præterierint, nec reditura sperari possint. Ceterum Autor doctissimus in tractatione præcipuorum Capitum S. Theologiæ hanc sibi Methodi Legem fixit, ut primo præmitteret Theoriam dogmatis *historicam*, in qua aliquando non ad Romanorum tantum & Græcorum, sed etiam ad Ægyptiorum & Chaldæorum tempora excurrit: Ab hoc vero transit ad Partem *dogmaticam*; inde ad *antitheticam* seu *elencticam*; quibus quarto loco adjicit partem *practicam*, & denique etiam subjungit Partem *literariam*, seu Indicem Autorum, qui singula argumenta Scriptis peculiaribus illustrarunt cum sua epicrisi, sed modesta & veri amante, æqua, neminis honori & famæ insidiante, non livida & calami lin-

guæve

guæve maledicæ protervia grassante, nec scribendi genus carnifice refutatore dignum sibi sumente. Scilicet diligenter indicare solet, quinam Libri cum grano salis sint legendi; Suasque etiam aliquando Dissertationes huic Catalogo infert, ne quis de eo dubitare possit, quod & ipse ex numero eorum sit qui hoc argumentum fuerint persecuti. Hasque suas Dissertationes majoris evidentiæ gratia subinde præcipuorum Hæresiarcharum Imaginibus exornat, & ea quidem arte, ut vel primus aspectus non possit non Hæreticum prodere. Atque dedit hactenus I. Dissertationem de Dei Existentiâ probata, & Atheismo reprobato. II. de Dei Unicitate. III. - - - -  
- - - IV. de pura Dei Spiritualitate. His accessit hoc anno edita

3. Dissertatio Theologica quinta, qua de Dei Æternitate disseritur: Quæ in duas partes est distributa. Bern. 1747. 40. pl. 9.

4. Dedit nobis Clarissimus & de Scientia Theologica præclare meritus STAPPERUS Operis dogmatici, quod jam supra laudavimus, Librum secundum, sub hujusmodi titulo: *Joh. Fried. Stappers D. G. W. Grundlegung zur wahren Religion. Zwoenter Theil. Zürich. Bey Heidegger und Comp. 1747. 80. pl. 41.* In hoc Libro Argumentum illud de S. Scriptura diligenter explicat, atque demonstrat sacrorum Librorum Pandectas divinam Revelationem veritatum homini peccatori salutarium complecti: Ac 1.) quidem exponit modum Revelationis veritatum salutarium. 2.) Necessitatem, ob quam hujusmodi Revelatio in litteras fuerit referenda. 3.) Demonstrat Veritatem & Divinitatem



tatem S. Scripturæ. 4.) Singulorum Librorum, qui Pandectas S. constituunt argumenta & fines persequitur. 5.) Sigillatim ostendit omnes & singulos Libros biblicos, qui in Canonem sunt recepti divinam suam originem & auctoritatem tueri posse, & Fidei normam ac regulam constituere. 6.) Demonstrat S. Scripturæ Perfectionem. 7.) Tradit Regulas de recta Librorum illorum Interpretatione. 8.) Translatio- num in alias Linguas necessitatem, & qua rati- one homines indocti de Translationis, qua utuntur, fide certi reddi possint, docet. 9.) Denique in Parte practica adjicit piam Instituti- onem de vero Usu divini hujus Libri, atque de virtute & efficacia ejus disserit, ut studium S. Scripturæ omnibus commendaret.

5. Etiam fœcundum Clariss. ALTMANNI ingeni- um præter aliquot *Fasciculos positionum Ethica- rum Doctrinæ moralis principia exhibentium*, protu- lit *Disquisitionem philologico-criticam* de STELLA, Magorum Duce ad Matth. II: v. 2. quam Spe- cimis loco defendit *Ant. Daniel Stettler*, Philos. Stud. ad d. 15. Mart. 1747. In hac Disquisi- tione §. I. Quæstionis difficultas proponitur. §. 2. Ignatii Sententia, putantis fuisse Stellam admodum præfulgidam rejicitur. §. 3. Non fuit Angelus micans ut Cæsarius vellet. §. 4. Nec globus igneus, qui in puteum Bethleme- ticum fuit delapsus. §. 5. Nec ut *Danæus* vel- let Stella cum aliis in mundi principio condita. §. 6. Nec Cometa. §. 7. Nec Lux, quæ tantum Bethlehemi fulsit. §. 8. Nec Chorus Angelorum, ut Reinbekius vellet. §. 9. *Els- neri* sententia, qua putavit illam a nemine nisi  
a Ma.

a Magis visam, aut in phantasia eorum tantum extantem fuisse recensetur, & §. 10. confutatur. §. 11. Fuit fax cœlestis in infima parte Athmosphærae. §. 12. Magi describuntur. §. 13. Quare Magis & non aliis hominibus apparuerit, conjectura affertur. §. 14. Eadem sententia ulterius probatur. §. 15. Quare Stella Magos primo Hierosolymam deduxerit, investigatur. §. 16. Quare Magi soli Hierosolymis Bethlehemum iverint indagatur. §. 17. De Donis Magorum discribitur.

6. Clarissimus S. Theol. Prof. WYTENBACHIUS Spem facit, se brevi III Partem Theologiæ dogmaticæ methodo scientifica adornatæ, quæ diu jam desiderabatur, exhibiturum, & quidem Francofurti ad Mœnum excudendam.

BASILEA. Pro vacuefacta Historiæ Professionis Cathedra rite consequenda disputationis periculum subierunt edicis Speciminibus sequentes Viri Clarissimi:

1. Ad. d. XI. Aprilis J. HENRIC. GERNLERUS, Phil. D. publicæ Disquisitioni proposuit *Specimen Observationum Historicarum*, excipiente argumenta nobil. Juvene J. Bernh. Sarassino. Basil. 4. pl. 2.
2. Ad. d. XVIII. Aprilis J. JACOB. FALCISIUS, A. L. M. & J. U. C. publico Examine submit *Fasciculum Observationum Historicarum miscellanearum*, Respondente Juvene florentis. Francisco Dieterich, Phil. Laur. Basil. 4. pl. 1. Versantur istæ observationes potissimum circa methodum tractandi Historiam: In quibus paradoxa quædam memoratu digna occurrunt: cu-

- jus generis est §. VIII. „ Observare licet non-  
 „ nullos Historiarum cultores circa studium  
 „ Antiquitatum tanquam ad prædam partien-  
 „ dam concurrere; ea, ad illustrationem Hi-  
 „ storiæ, quod & de Scientia Numismatum  
 „ acceptum velim, aliquid conferre posse, fa-  
 „ cile inducor: Ast an studium Antiquitatum  
 „ ad Sapientiam sit necessarium, in medio re-  
 „ linquo. „ Item §. XV. „ In universum  
 „ non ab antiquissimis incipi; sed ab his,  
 „ quæ nostris temporibus nostræque notitiæ  
 „ propius cohærent, ac paulatim deinde in re-  
 „ motiora eniti auctor essem, magisque e re  
 „ esse arbitror. „
3. Ad d. XXI. April. ventilandas obtulit *Stri-  
 cturas Historico - Chronologicas de Aetate Mundi*  
 M. JO. HENRICUS BRÜCKERUS, S. M. C.  
 & Ling. Hebr. Prof. Vic. Respondente Juvene  
 doctis. J. Jacob. Hubero, Magist. Cand. Basil.  
 4. pl. 1½.
4. Ad d. XXV. April. DANIEL MITZIUS, J.  
 U. L. Speciminis loco proposuit Dissertatio-  
 nem *de Origine Jurisconsultorum Romanorum*, Resp.  
 Juvene flor. Jo Bernh. Sarasino, Phil. Laur. Ba-  
 sil. 4.
5. Ad d. XXVIII. April. publice expendendam  
 tradidit *Disquisitionem Historico - criticam de*  
 PHILIPPI COMINAEI *Commentariis rerum a*  
*Ludovico XI & Carolo VIII Gallia Regibus gesta-*  
*rum*, J. HENRIC. FESCHIUS, Resp. Juve-  
 ne nobil. Eman. Meriano, Mag. C. Basil. 4.  
 pl. 1. Scil. ad exemplum Clariss. Simonetti in  
 PHILIPPO COMINAEO Imaginem nobis Hi-  
 storici omnibus numeris absoluti brevi quadam  
 tabella exhibet.

6. Ad d. II. Maj. proposuit *Exercitationem historico-politicam de Helveticorum Legatorum singulari specie*, qui vulgo *Représentantes* vocantur, J. HENRICUS FALKNERUS, Phil. Doct. Respondente Juvene ornatiss. J. Bernh. Sarafino, Phil. Laur. Basileæ. 4. pl. 1½.

7. Ad d. V. Maj. Disputationis periculum adiit EMANUEL FAESCH, A. L. M. Respondente Juvene nobiliss. Eman. Meriano, M. C. proposito *Specimine historico*, seu Notatis quibusdam circa *Constitutionem Regni Francorum tempore CAROLI Magni*. Basileæ. 4. pl. 1.

Ex horum vero numero ad administrandam hanc provinciam, quam Vir Consultiss. J. R. THURNISIUS ad Juris Canonici & Digestorum Professionem transiens deseruit forte lectus est Vir. Clariss. M. JO. HENRIC. BRUKERUS, S. M. C. & Ling. Hebr. Prof. vicar.

II. Prodiit hic quoque Dissertatio Philologico-theologica de Baptismo, quam Præside V. Celeb. JACOB. CHRISTOPH. BECKIO, S. Th. D. L. C. & Contr. Theol. Prof. placido Eruditorum Examine submittit *Christ. Leberecht HOFMEYERUS*, V. D. M. Anhaltino-Cotheniensis Autor. Ad d. XXVI. Maj. 1747. Basileæ. 4. pl. 8½.

GENEVA. Vir præclarissimus hujus Ecclesiæ ac Academiæ Doctor nobilissimus VERNETUS eximium Opus jam ante aliquot annos cœptum nova & insigni accessione auxit: Prodierunt enim ap. *Henr. Albert Goffe & Socc.* duo Volumina, quæ hujus Operis Sectionem VII. in duas partes divisam comprehendunt, sub titulo: *Traité*

té de la Verité de la Religion Chretienne, tiré principalement du Latin de feu Mr. J. ALPHONSE TURRETIN, Prof. en Theol. & en Hist. Eccles. à Geneve: Section VII, contenant *la preuve de la Divinité de l'Evangile tirée des MIRACLES qui en ont accompagné la publication.* Premiere Partie pl. 17. Seconde Partie pl. 19. à Geneve 1747. in 8. Summa Caputum & Tractationis Series hæc est: 1.) De MIRACULIS in genere. 2.) Unde Facto alicui fides sua constare possit, nim. de Testibus & Probabilitatibus. 3.) De Examine circa Testimoniorum fidem. 4.) Veritatem Miraculorum Evangelii sufficientibus testimoniis confirmatam, neque testimoniorum ad nos propagatorum fidem subleſtam esse. 5.) Testes hujus veritatis non posse suspicionem incurrere, quasi fuerint ab aliis fraude circumventi, aut quasi ipsi errore fuerint decepti circa res testatas. 6.) Quod non possint esse suspecti de consilio aut voluntate alios decipiendi; quod 7.) & 8.) Autor pluribus persequitur. 9.) 10.) Probabilitates, quibus horum Testium fides corroboratur & ab omni erroris & fraudis suspitione iidem liberantur. 11.) 12.) & 13.) Testimonia *Josephi, Judæorum, Gentilium* circa hanc rem, & quid de singulorum auctoritate ac momento statuendum sit. 14.) 15.) & 16.) Generales quædam Objectiones de Miraculorum impossibilitate, inutilitate & insufficientia solvuntur. Parte Ila. reliquæ Objectiones adversus Argumenti de Miraculis vim expenduntur ac diluuntur; quæ ipsius Clariss. Autoris verbis hujusmodi sunt: 17.) L'ignorance nous fait peut-être prendre pour miraculeux ce qui n'est qu'un effet un peu surprenant de l'Art ou de la Nature. 18.)  
Que

Que les miracles pouvant venir du Demon ou de la Magie, ils prouvent rien en faveur de nôtre Religion. 19.) Si le Paganisme même a eû ses prodiges, l'Evangile n'a aucun avantage de ce côté la sur le fausses Religions. 20.) Suite de l'Objection précédente, tirée de ce qu'on attribue de merveilleux à *Apollonius de Tyane*. 21.) Les Chrêtiens eux-mêmes forgent & debitent tant des faux miracles, que cela fait aussi douter des miracles de l'Evangile: 22.) 23.) & 24.) Suite de la même Objection, tirée de ce qui a été publié à Paris des guérisons miraculeuses opérées sur le tombeau & par l'intercession de Mr. de *Paris*: avec un examen plus particulier des miracles allégués, par Mr. de *Montgeron*. 25.) S'il s'est fait autrefois des miracles, pourquoi ne s'en fait-il plus? 26.) Jesus Christ affectoit quelques fois de cacher ses miracles, & n'agissoit pas assez ouvertement. 27.) Ne se peut-il pas qu'en effet les Apôtres ayent enlevé le corps de leur Maître, comme les Juifs les ont accuses: 28.) Certaines circonstances rapportées de la personne de Jesus Christ après sa resurrection, semblent indiquer que ce que les Apôtres virent étoit plutôt un spectre qu'un vrai corps resuscité. 29.) Jesus-Christ après sa resurrection auroit du se montrer vivant à un plus grand nombre de personnes, & se faire voir au milieu même de Jerusalem. 30.) Si les miracles de l'Evangile avoient été vrais & réels, ils auroient d'abord converti tout le monde. 31.) Pourquoy n'y a-t-il que des Auteurs Chrêtiens, qui ayant rapporté les miracles de l'Evangile. 32.) Ce qui est dit de miracles de Jesus-Christ dans l'Evangile n'est, peut-être qu'une

ne

ne allegorie , & ne doit pas se prendre litteralement. 33.) Conclusion de cette Section. Sunt & istæ Operis præstantissimi Partes ea perspicuitate ac soliditate conscriptæ , qua Reverendus Autor jam dudum inclaruit : Et multum omnino rem christianam juvare posset , qui hunc Librum in Germanicum Sermonem scite transferret.

NEOBURGI. Ad d. XIII April. h. a. vitam suam finiit marasmo senili confectus Vir Celebrerrimus ac illustris JO. FRIDERICUS OSTERWALDIUS, *primus Pastor Ecclesiarum Neoburgensium*, & veri Theologi Exemplum, ætatis anno LXXXIII: Qui Ecclesiæ Dei per LXI annos multa cum laude præfuit , atque Scriptis rem Christianam multum promovit. Huic Viro , cujus in Ecclesiam Dei merita nulla unquam oblitterabit oblivio, Successor datus est Vir Reverend. CARTIERIUS, V. D. M. *à la Chaux du Milieu*, Vir pietate, vero pro gloria Dei Zelo, & Eruditione nobilissimus.

---

In superiore IIIIta Musei Sectione graviore quosdam Typothetarum errores, quos Correctoris incuria non sustulit, hunc ad modum velim emendes: Pag. 646. lin. 3. pro 1600, lege 1690. Pag. ead. lin. 14. pro *Bernenses* lege *Bremenses*. Pag. 648. lin. 30. pro *seriam* lege *Senium*.